



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

Quum semper desiderauit & sitiuit nostram salutem,
maxime uero in sacrificio crucis orauit: pater ignosce
illis, quia nesciunt quid faciunt. ut taceam de reliquis
desiderijs eius.

Etenim cum debeatis pro
temporis ratione.

De sacerdotio Melchisedec ex scripturis scripturam
scientibus Hebraeis locuturus, increpat grauitur eos,
quod qui iam diu audierant ex scripturis Christum, ut
iam oporteret eos aliorum esse magistros, tamen adhuc
ut pueri in infimis haerent, & maiora, quamuis in Chri-
stum credant, ut est quod instituit de Christi sacerdo-
tio, capere non possunt. Quae increpatio etiam ad nos
stros uel in primis attinet, qui admirantur, dum de Chri-
sti sacerdotio secundum scripturas aliter loquamur,
quam ipsi haecenus somniarunt. & tamen bis, ter uel in
die canunt & legunt: iurauit dominus, & non poeni-
tebit eum. atque hac increpatione digreditur, & septimo
cap. reuertitur ad sacerdotium Melchisedec.

C A P V T VI.

Quapropter omisso, qui in

Christo rudes inchoat.

Cum praecedentibus haec cohaerent: relinquimus
ergo illa prima rudimenta quibus primum paruuli in Chri-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

sto instituuntur, ut satis prædicata uobis, & cognita
altiora, & quæ sunt uirorū, in fide Christi discamus.
Ephe. 4.

Si deus permiserit.

Rudimēta sunt, docere & respicere tantū in exteri-
na sacramēta, & quasdā etiā uolūtarias obseruāti-
as secundū ritū ab apostolis obseruatū: ut erat impositio
1 manuū, sine qua tūc potuit dari, & dabatur, & datur
2 semper credentibus spiritus sanctus. Itē docere, ut di-
3 cas: Credo in deum patrem, &c. Item docere, ut ab-
4 stineas à fornicatione, detractatione, &c. Item doce-
re, ut dicas orationem dominicam: qualia uel sola no-
stri ubi optimi sunt docent, fidei perfectionem, &
quā diues sit in deo, ut nesciunt, ita docere non pos-
sunt. Quapropter errat populus cum eis, dum nun-
quam uerè resipiscit, & semper in eodem luto hæret,
Tamen in anno semel fingit sibi poenitentiam ab ope-
ribus mortuis: idcirco errant, & Christiani non sunt,
donec ipsorum deus misertus, uiam salutis per Euan-
gelium aperiat, ut discant, non in externis operibus
pueriliter frustra; hære, sed in solo deo per Iesum
Christum sperare salutem. Tales prouocandi sunt ad
meliora, sicut hic uides. Nam de illis qui uerè cogno-
uerunt Christum, & postea gratiā eius blasphemāt.
quæ est horrenda impietas, aliud iudicium audiemus.

Nam fieri non potest.

Quotidie

Quotidie iugiterq; misericordiam dei inuocamus,
 nō solū propter tentationes nostras, sed etiā propter
 peccata nostra, ita iubente domino. Non ergo nega-
 bimus illam Christianam pœnitentiam, quam omnis
 scriptura prædicat uerbis & exemplis. Etiam si ange-
 lus è cœlis aliud euangelizet, ut non sit tibi cura in
 hoc authore, si non potes cum aliter intelligere, quàm
 quod negat pœnitentiam. Nam uerbum diuinum ha-
 bes, cui oportet cedat quodcumq; uerbum humanum.
 Mirum uero cum omnia hic author, quisquis fuerit, di-
 ligentissime probet ex sacris scripturis, solum hanc
 sententiam, in qua uidetur negare ueniam lapsis, post
 primam ad Christum conuersionem, non probet: sed
 unde probaret eam, cum ipsa scripturis omnino sit dis-
 uersa, nisi intelligas hoc de peccato in spiritū sanctū,
 sicut dicemus. Ipse tamen locus de Christi sacerdotio,
 qui ex scripturis hic dignissime tractatur, clarè osten-
 dit non negari ab authore pœnitentiā & remissionē
 peccatorum illorum, in quæ fragilitas humana labi-
 tur, stante adhuc fundamento Christo. Alioqui post
 primam promissionem ociosum erit hoc Christi sacers-
 dotium, & ipse author dicit: Adeamus cum fiducia ad
 thronū gratiæ, &c. Item cap. 7. Vnde & saluator in
 perpetuum potest accedere & per semetipsum ad deum,
 semper uiuens ad interpellandum pro nobis. Et cap.
 9. Vt appareat nunc uultui dei pro nobis. Et cap. 12.

poenitentia
 vera

Et

Locus de
 chri sacerdotio
 no negat
 lapsis ueniam

(aliare)

ANNOT. IOANNIS POMERANI

Deposito onere omni, & tenaciter inherente peccato, certum est talia non dici ad eos, qui nondum sunt conuersi. Nam Christianis scribit ex Iudaismo conuersis ad Christum: sicut clare dicit cap. 2. Fratres sancti, uocationis cœlestis participes, &c. ut alia taceamus. Quapropter nunc nō neget ueniam, idq; clare ex scripturis, & hic alibiq; in hac epistola, sicut supra indicauimus, uideatur negare pœnitentiam, non addita scriptura: & sic reddat nos incertos quid uelit: necesse est, ut hæc ex apertioribus scripturis interpretemur. Et si possimus, ex uerbis etiam ipsius authoris, sicut & faciendum est ubiq; in obscurioribus scripturæ locis. Ioannes in sua epistola duplex peccatum ponit, alterum non ad mortem, alterum ad mortem: pro illo uult orari, si frater peccauerit: pro hoc uero non. De illo quoq; sic dicit: Filioli mei, hæc scribo uobis, ut nō peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrē Iesum Christū iustū, et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Nōne illic Ioannes loquitur eadē cum hoc nostro authore, nisi quod ille aduocatum, hic pontificem facit Christum? Paulus uero uno nomine dicit mediatorem. Peccatum ad mortem Christus uocat blasphemiam in spiritum sanctum, quam non remittendam dicit in æternum, Marci 3. de quo peccato intelligenda sunt & quæ hic dicuntur.

*Duplex peccatum
non ad mortem
ad mortem*

*Aduocatus
mediator
pontifex*

*Peccatum
ad mortem*

idq; uidebimus in uerbis authoris, si prius indicaues-
 rimus quod nam sit illud peccatum. Est autem quando
aperta dei ueritas uidetur: ita ut uictus sis apud temet
ipsum in tuo corde & conscientia, quod res ita habet,
& aliter esse nequit, & tamen impie audes dicere &
contra contendere hoc non esse uerum, non esse à deo,
esse peruersum, esse à diabolo. Qua horrenda blasphe-
mia non uereris gladium domini contra te stantem,
quasi etiã tibi impune liceat pugnare uoluntarie con-
tra deum? Hæc ex Marci 3. uides, ubi manifestũ opus
dei tribuebant contra conscientiam Beelzebub. Vnde
postquam euangelista scripsit uerba Christi, qui dixe-
rit blasphemiã in spiritum sanctum, non remittetur
ei in æternum: addidit, quia dicebant: Spiritum im-
mundum habet. Quod si Christus hæc dixit de alijs,
qui impij erant, & suscipere ueritatem nolebant, sed
manifestam, ita ut negari non posset, impugnabant:
quid accusamus hunc nostrum authorem, quod con-
dēnat illos qui nō externis uerbis, aut externis mira-
culis solum, sed intus in corde illuminati gustauerunt
donum cœlestē, accepto spiritu sancto, gustaueruntq;
bonum dei uerbum, ac uirtutes, et efficaciam regni dei?
Et tamen ab his omnibus retro labuntur, & blasphe-
mant gratiam, tanto spiritus testimonio agnitam: id
quod cap. 10. uocat, uoluntarie peccare post uerita-
tem agnitam. Peccare uocat recedere à Christo,

Petrus in
 1^o Petri 2^o

Voluntarie
 peccare

Introduktio
petri

ANNOT. IOANNIS POMERANI

sicut incredulitatē uocat peccatum, si recte intuearis
cap. 3. & 4. Et Christus in Ioanne: Spiritus sanctus
arguet mundum de peccato, quia non credit in me.
Voluntarie autem addit, ne huius peccati reos faci-
at, si quibus fortè contigerit, deo deserente, qd' Petro
accidit. Significat uero illos qui inter pios fatentur ea
quæ uera esse sciunt, inter impios uero blasphemant,
turpiter uiuunt cū alijs contra conscientia: & sic dū
suis rebus consulunt, & hominibus & deo illudunt,
utentes ea spe, qd' possint pœnitere quoties uoluerint,
sicut putant, & errant. Id quod est de integro crucifi-
gere filium dei & ludibrio habere, sicut hic dicitur.
Nam, inquit, terra quæ sæpe combiberit imbrē uerbi
dei è coelis uenientem, Esaia 35. Et creuerit ex fide in
fidem, ferens fidei fructum & confessionem, benedici-
tur à deo. At quæ luserit operam, & pluentis dei &
operantiū eã, nihil aliud ferens quàm pro confessione
blasphemias, reprobata est, & maledictioni, id est, huic
horrendæ sententiæ proxima, ut exuratur. Vide quæ so-
diligentissime uerba cap. 10. ut uideas clarè authorē
sentire quod dixi: sic ait, Nam si uolentes peccaueri-
mus, post acceptam cognitionem ueritatis, nulla pro
peccatis reliqua est hostia. Nam sacerdotem Christū,
eiusq; sacrificium, quod in aeternū sanctificat, negasti,
blasphemasti cū impijs, & hoc uoluntariè. Non ergo
iam habes hostiam, qua reconcilieris deo, quia præter

illam unicam nulla est hostia. In Christo uero si esset, ut maxime peccator, iam hostiã haberes, & nõ posses non esse dilectus deo, propter Christum dilectum, propter hunc pontificem, qui semper pro nobis assistit uultui patris, ut interpellet pro nobis. Non, inquit, est reliqua hostia, sed formidabilis, &c. Quia negasti & blasphemasti uoluntarie saluatore, non poteris eũ habere aliũ quã iudicem. & ait, Quia ignis deuoraturus est aduersarios, scilicet Christi et dei. & uel hinc accipe de quibus dicat, nempe de euangelij & ueritatis Christiane blasphematoribus. Postquã cognouerunt ueritatem, non de illis qui sunt in Christo, licet peccatoribus. Quis enim est homo super terrã & nõ peccet? Caterum quæ sequuntur satis aperta sunt in hanc sententiam. Qui, inquit, filium dei cõculcauerit, & sanguinẽ testamenti, quo pontifex noster ingressus est in sancta, ceu rem prophanã habuerit, per quẽ antea fuerat sanctificatus, id est, segregatus deo: & spiritũ gratiæ contumelia affecerit, id est, blasphemauerit in spiritum sanctum. Horrenda sunt hæc, uiderint & caueant illi, qui audent cõtra conscientiam uoluntarie quid uis, ea spe quod putet se per quaedã opera satisfacere, quæ est mera, ueraq; dei illusio. Verum cum non ignorem quã facile ledantur, & in desperationem adigantur teneræ & infirmæ quorundam conscientie. Dico quod qui ex corde reuertitur ad deum, cer-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

tum testimonium habet, quod nunquam, deo seruante, huic sententiæ fuerit obnoxius, etiã ubi potuit uideri incidisse. Nam qui inciderint, nunquã respiscere poterunt. Excæcabuntur enim uel aperta malicia, uel ficta iustitia: sicut uidemus Iudæos periisse.

Cæterum persuasimus nobis, &c.

Mitigat comminationem & reprehensionem, ne ex prædictis interpretentur sese damnari: sed intelligant se cõmoneri, ne securi abijciant Christum, &c.

Vt obliuiscatur operis uestri.

Vide ne meritum humanum hinc confirmes: nam clare additur, operis & laboris ex charitate suscepti. uides itaq; opera esse fidei, &c. Et rursum: quam charitatem exhibuistis erga nomen illius. Significat autẽ opera testari de fide interna.

Ad plenam fidei certitudinẽ.

Nota diligenter opera nostra bona, non solum esse alijs testimonia fidei nostræ, sed etiam nobis. Ex illis enim certificamur nos habere fidem & spem, donec perfecta fiducia discamus in deum sperare. Vide hæc in secunda epistola Petri cap. I. Hæc cum uobis adsunt & exuberent, &c. Operam date ut uocationẽ & electionem uestram firmam efficiatis.

Deus enim pollicitus Abrahæ.

Quia monuerat, ut per fidẽ ac crucẽ quæ sese comi-

tantur, hereditatem accipiamus promissionis: id est, euāgelij etiā patriarchis promissi, nō solū nobis: occasione accepta de promissionibus dei dicit, iuramento etiam confirmatis, ut nō dubitemus nos accepturos.

Nisi benedicens benedixero tibi.

Magnum est iuramentum, quod fit per reticētiam, in quo subaudiendū est, Nō sim qui sum: id est, non sim deus, sicut nos dicimus, moriar, dispereā, aut simile.

Per duas res immutabiles.

Duæ res immutabiles in deo sunt, promissio et iuramentū. Nō potest se ipsum negare, qui ueritas est, &c. Et introeuntē, id est, nos ducentem in regnū dei æternum, uel potius quæ ancora nō hæret in luto, sed in caelo fixa est, ubi est Christus. Alludit uero ad ingressum pontificis intra uelum, de quo infra.

CAPVT VII.

Nā hic erat Melchisedec rex Salē.

Post digressionē tam longā reuertitur ad sacerdotium Melchisedec, de quo legis Geneseos 14. Secundum cuius ordinem Christus, in psalmo iuramento dei promittitur futurus pontifex, siue sacerdos in æternū. Præfert uero hic author miris argumentis sacerdotium Melchisedec, sacerdotio legis siue leuitico, qd' er. ut secundum ordinē Aaron. Et recte figurana